

579. *Duodecima excellentia.* Iugum Testamenti veteris valde grave, ac ponderosum; novi vero leve, & suave. Dicente Christo Domino Math. 11. n. 29. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* E contra vero iugum antiquum, valde grave, & ponderosum, cum in Primitiva Ecclesia aliqui arbitrentur legem Moysi à Christianis esse servandam, cum de hac re Hierosolymis esset contentio surgens Petrus ait: *Quid tentatis Deum, imponere iugum super cervicibus Discipulorum, quod nec Patres nostri, nec nos portare potuimus?* Act. 15. n. 10. & ideo D. Aug. serm. 9. de verbis Domini, legem antiquam appellat sarcinam innumerabilem observationum. Numerantur enim in illa lege antiqua sexcenta triginta precepta. Affirmativa, ducenta quadraginta; negativa, trecenta sexaginta quinque.

580. At lex Evangelica valde suavis, ac levis est paucitate mandatorum, quae magnam habent facilitatem: nam praeter Decalogum legis naturae addidit Sacramenta facillima, ut ait Divus Augustinus epistol. 118. cap. 1. *Levi iugo nos subdit, & sarcina levi, unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit.* Et inde lex nova dicitur verbum brevium, ut dicitur ab Apostolo Roman. 9. num. 28. *Verbum brevium fecit Dominus super terram.* Cum legem suam promulgavit, quae valde breviter est paucitate preceptorum, ita interpretatur D. Augustinus, Origenes, D. Anselm. Oecumenius.

581. *Tertiadecima excellentia.* Testamentum vetus temporalia promittebat suis observatoribus; novum vero aeterna, & spiritualia, ut eisdem verbis docet D. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei, cap. 11. *Prius in veteri temporalia bona, deinde in novo, aeterna, spiritualia promittuntur.* Nam in lege veteri dabantur promissiones vini, olei, frumenti, terra fluminis lac, & mel. In novo aeterna, & spiritualia: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Math. 25. *Venite benedicti patris mei possidete regnum.* Joan. 7. num. 38. ait Christus Dominus: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquae viva, hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes.* Et ideo Apostolus Hebraeor. 7. num. 19. appellat legem gratiae *Introductionem melioris spei, per quam accedimus ad Deum.* Et Hebr. 8. num. 6. agens de Christo Domino ait: *Quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus re-promissionibus sanctum est; nempe pollicitationibus per Christum factis aeternae coelestis beatitudinis, ac gratiae sanctificantis.*

582. *Quartadecima excellentia.* Verus testamentum fuit imperfectum, novum undequaque perfectissimum, sive quoad fidem, more, ritus & caeremonias. Judaei sub lege fuerunt, tanquam pueri alphabetarij; Christiani vero in novo testamento, ut perfectissimi Theologi. Ait Apostolus ad Galat. 4. num. 4. *Cum essetis parvuli sub elementis mundi eramus servientes, ut ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, re-*

dimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quem locum expendens noster D. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Joan. ait: *Oportebat per Moysen tanquam puerum erudiri Israelitem, qui puerilis aebue, & rudioris mentis erat, ac per Christum, in quo omnes sunt thesauri sapientiae, & scientiae reconditi, descriptam veram, & consummatam nobis offerri scientiam.* In veteri Testamento erant Judaei ut pueri sub literis alphabeticis servientes; ac in novo recipimus adoptionem filiorum, ac ut filij participamus de bonis paternis Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae Dei.

Quod confirmatur ex Paulo Hebraeor. 7. 583. num. 18. *Reprobatio quidem fit procedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex, id est abrogatio fit prioris legis, & hujus rei causam assignat Apostolus, legis nempe infirmitas, & inutilitas, Quia lex nihil ad perfectum adduxit: quia non poterat homines salvare, ac justificare: nam summa hominis perfectio est illius justificatio, ac sanctificatio.* At vero novum testamentum, potentissimum, ac efficacissimum est ad salutem. Ait Apostolus Rom. 1. num. 16. *Non erubescio Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Ait Doctor Gentium, *Non erubescio Evangelium, quatenus ejus vita sit in humilitate, ac paupertate.* De quo agit D. Ambros. lib. 1. Officio cap. 3. & subdit rationem Dei virtus. Graecus legit, *Dei potentia est, ad salutem omnium credentium; hoc est potentissimum est ad dandam salutem, & remissionem peccatorum, Verbum crucis iis, qui salvi sunt, Dei virtus est.* 1. Corinth. 1. n. 18. *Dei virtus Syriacus legit Dei potentia. Ipsa virtus Evangelica crucis efficac Dei potentia est ad salutem, ac vitam aeternam.*

584. *Decimaquinta excellentia.* Testamentum vetus uni tantum populo nempe Judaico, Testamentum vero novum universo orbi datum est. De Testamento veteri probatur Psal. 75. n. 1. *Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus.* At lex Evangelica data est pro toto universo. Sic Christus Dominus mittens suos Apostolos ait illis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, &c.* Math. 28. num. 19. *Iterum: Euntes in mundum, universum predicare Evangelium omni creaturae.* Marc. 6. num. 15. *quod vaticinatum est ab Isaia 2. num. 2. Et erit in novissimis diebus preparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Et ita tim subdit n. 3. *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem, & judicabit gentes.* Malach. 1. num. 11. *Quia ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Et de sacris Apostolis clamat Regius vates: *in omnem terram exivit sonus eorum* Psal. 18. & passim omnes Prophetas.

585. *Decimasexta excellentia.* Testamentum vetus temporale, quod ostendit Paulus ad Galat. 3. num. 19. *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promisserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Id est, lex Moysi promulgata est, ut peccatores, & peccata refringeret, nec Christus semen

in manu mediatoris; id est in potestate Christi mediatoris ad abrogandam ipsam legem veterem. Ita locum explicat Glossa Ordinaria, D. Anselm. Theoph. quod etiam magis confirmatur ex eodem Apostolo citato cap. 3. num. 23 ubi ait: *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebantur, conclusi in eandem fidem, qua revelanda erat, id est, antequam fides Christi, & nova lex resplendesceret in orbe, quasi servi in custodia, ac carcere onerosae legis conclusi tenebantur, quousque ipsa fides Christi in mundo revelaretur; & iterum corroboratur ex eodem Apostolo citata epistola ad Galatas cap. 2. num. 19. *Per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam.* Id est per legem novam legi veteri mortuus, & crucifixus sum, ut vivam Deo, & pro hac veritate confirmanda, multa alia loca valde expressa poteram addocere.*

586. Testamentum autem novum aeternum est, juxta illud Christi Domini: *Hic est Calix sanguinis mei, novi, & aeterni testamenti.* Et illud Pauli Hebr. 13. num. 20. *Deus eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum Christum.* Et illud Apocalyp. 14. num. 6. *Vidi alterum Angelum volentem per medium caeli habentem Evangelium aeternum.* Dicitur autem Testamentum novum aeternum; ut citato loco explicavi, quia nullo unquam tempore antiquabitur, nullum aliud testamentum illi succedet. Theodoret. ad citatum locum Apostoli: *Aeternum testamentum vocat Paulus, ne potest quod aliud non sit post hoc futurum.* D. Anselm. ad Hebr. 13. *Novum Testamentum dicitur aeternum, quia aliud ei non succedet, sicut idem successit veteri.* Sed perdurabit usque in finem mundi. Hinc Christus ait Math. 28. numero 20. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Et hac de causa lex gratiae vocatur in Scriptura ultimum tempus. 1. Joan. 2. num. 18. *Novissima hora est.* 1. Joan. 2. num. 2. Mich. 4. numero 1. Act. 2. n. 16. *Quia tempus est ultimae, ac novissimae legis quae duratura est donec transierimus omnes ad statum gloriae.*

587. *Decima septima excellentia, & valde praclarissima,* quia pro statu videris de lege ordinaria non potest perfectior lex considerari. Ita D. Thomas 1. 2. quae. 106. art. 4. Suarez lib. 10. de legibus, cap. 7. n. 5. quia nulla lex potest esse perfectior in ratione legislatoris, ac mediatoris, quia nullius potest perfectio esse; quam Christus Jesus unigenitus filius Dei; nec potest esse perfectior in ratione sacrificij; nam nostrum sacrificium non est ex carne, ac sanguine taurorum, & hircorum, sed ex propria carne, ac sanguine unigeniti filij Dei Jesu Christi, nec potest esse perfectior in ratione caeremoniarum; nam nostrae caeremoniae sunt septem Sacramenta, quae conferunt gratiam ex opere operato, nec ulla lex potest perfectius conjugere hominem viatorem cum Deo, quam per fidem, gratiam, & charitatem, ac religiosum cultum, per sacrificium, ac Sacramenta septem, ut lex nostra Evangelica, quae etiam reali, ac substantiali praesentia corporis Christi maxime extollitur, ac nobilitatur, nullam quae hominis viatoris potest esse perfectiora.

Syveira Opuscula.

perfectior in ratione mercedis, ac praemij, nostrum enim est ipsum regnum caelorum, visioque beatifica ipsius praesentiae Dei: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Cor. 13. num. 12. quo nihil nobilius ac excellentius excogitari potest.

QUESTIO II.

Quid, & quotuplex sit Evangelium, & quanta ejus excellentia?

SUMMARIUM.

- 588. *Quid significet Evangelium*
- 589. *Quomodo omnes libri Testamenti novi possint dici Evangelia, peculiariter quatuor Evangelista.*
- 590. *Inter omnes libros Canonicos Evangelium habet magnam excellentiam.*
- 591. *Quanta sit excellentia Evangelii ex caeremoniis, quibus decantantur, demonstratur, & n. 592. 593.*
- 594. *Evangelium in se unum.*
- 595. *Quatuor sunt Evangelista, alta ordinatione sic dispositum, & n. 596.*

De his jam egit tom. 1. in Evangelia in praefatio, cap. 1. & 2. quae iterum non sunt repetenda, sed breviter perhibenda; Evangelij vox est Graeca, & significat laetum, & festivum nuntium, quem valde praecipuum nobis declarant quatuor sacri Scriptores Canonici, seu Evangelistae, dum nobis proponunt Christi Domini adventum, sacratissimam ejus praesentiam, vitam, doctrinam, supernam, & aeternam gloriam, passionem, ac resurrectionem ejus, per quam omnem sanctitatem, gratiam, justitiam, redemptionem à nostris peccatis, libertatem à servitute, ac jugo damnationis, adoptionem filiorum habemus.

Et quantum omnes libri Canonici novi Testamenti, ut epistolae D. Pauli, Petri, ac Jacobi, late possint dici Evangelia, ut ibi notavi, tamen propriissime ex communi acceptione dicuntur Coelices quatuor Evangelistarum, quia plenius, ac latius narrant omnia Christi mysteria, opera, ac miracula.

Evangelii excellentia.

Quam praecara, & sublimis sit Evangelij majestas, eam maxime nobis declarat D. Aug. lib. 1. de consensu Evangelist. cap. 1. & ait: *Inter divinas auctoritates, quae sacris literis commemorantur, Evangelium merito excedit. Quod enim lex, & Propheta futurum praenuntiabant, hoc redditum, & completum in Evangelio demonstratur.* Origenes Praefatione in Joan. ait: *Totius Scripturae primitia, est Evangelium.* Divus Basilius homil. 16. ait: *Omnis Evangeliorum vox reliquis omnibus Spiritus sancti praecipue eminentior esse dignoscitur.* Tanta est dignitas Evangelij, ut dicat Divus Augustinus citatus: *Propheta est Evangelium velatum, Evangelium vero est Propheta revelata.*

Hac sublimitas, & dignitas maxime dignoscitur

citur ex carimoniis, quibus Ecclesia oritur in
lectione ipsius Evangelij. In primis accendun-
tur lumina, accensisque luminibus legitur
Evangelium, ut notat D. Hieron. *lib. contra
Vigilantium*. Luminaria ergo accenduntur, quia
Evangelium illuminat unum versum orbem; &
etiam luminaribus accensis, (quæ sunt signa
lætitie) indicat gaudium, quod per Evan-
gelium diffusum est in toto mundo. Secundo.
Recitatur etiam in loco eminentiori, quia ut
D. Paschasius *lib. 1. in Matth.* ait, *In omni do-
ctrina sacra Evangelia ceteris sublimior*. Ter-
tio. Dum Evangelium legitur circumstantes
assurgunt, & stantes, ac detecto capite au-
diunt, ad denotandam animorum nostrorum
preparationem, qua prompti, & parati su-
mus ad ea, quæ in Evangelio continentur,
adimplere. Deinde ut docent D. Clemens,
lib. 2. consue. Apostolic. cap. 61. Divus Augu-
stinus *tract. 30. in Ioan.* Quæ admodum dum
Princeps se, vos suos alloquitur, detecto ca-
pite surgunt, & pedibus astant, sic cum Evan-
gelium legitur Christus Dominus nobis in eo
loquitur, ac proinde tanquam servi debemus
detecto capite stare, ob reverentiam tanti
Domini alloquentis, & hanc consuetudinem
surgendi servam tam esse ab Episcopis, præcipit
Canon Apollonius *de consecrat. dist. 1. & pro-
ba. Gelasius lib. 1. epist. 13.*

Quarto. Minister thurificat versus Evan-
gelium, dum illud cantat, ob magnam reveren-
tiam Evangelio deferendam, & ad hanc indi-
candam Sacerdos Christi imaginem thurifi-
cat, quia in ipsa representatur Christus; sic &
thurificat Evangelium, quia in ipso exprimen-
tur omnia Christi mysteria, verba, & opera.
Octava Synodus Occumenica, *Act. 10. Can. 3.*
ubi dicitur: *Sacram imaginem Domini nostri
Jesu Christi, & omnium Sacramentorum, eoque honore,
cum libro Sanctorum Evangeliorum adorari de-
terminavit*. Evangelis æqualem honorem, ac
Christi imagini deferendum decrevit, quia
ipsum Evangelium est quedam expressissima
imago ac representatio omnium Christi ope-
rum, ac etiam eius Sacratissima vitæ.

Quinto. Ubi lectum est Evangelium, de
more Sacerdos illud osculatur, & osculandum
Episcopo, vel Principi, ubi dicitur, offertur Oscu-
lum est signum amoris, benevolentie, recon-
ciliationis, ac pacis, ut docent D. Ambrosius, Titus
Bostrensis dum expendunt, quomodo Magda-
lena Christi pedes osculabatur. *Luc. 7. num. 38.*
ut suo loco *tom. 3. expend.* Hinc lectum Evan-
gelium Sacerdos illud osculatur, & osculan-
dum dat Episcopo, vel Principi, in signam
amoris, & benevolentie, & etiam qua ratione
sui muneris, pacem, & reconciliationem habemus
cum Evangelio, dum ejus præcepta ob-
servamus; sic ait D. Ambrosius ad cap. 24. *Luc.*
*Si mandata Domini custodias pacificum Chris-
tus erit, ut animam tuam salves.*

Evangelium unum in se.

Quatuor Evangelia unum est, & unum à
quatuor Scripturis, seu Evangelis est scri-
ptum. Ita Zacharias Episcopus, D. Hieron.
D. Augustus, D. Chrysostomus, D. Ambrosius, Beda, quos
citavi *tom. 1. in Evangel. in præmio cap. 2. num.*
1. cum D. Remigio, cujus verba iterum repeto,

Zach. Episc.
Hieron.
D. August.
D. Chrys.
D. Ambros.

Sic ait Sanctus Pater in Matth. *Sicut una est*
fides, unum baptisma, & unum Evangelium,
quia una est doctrina, & quod unum sit ipse Do-
minus manifestat, cum dicit; Ite, prædicite E-
vangeliolum omni creatura: & nos quotiescum-
que plurali numero dicimus Evangelia, nec
doctrinam dividimus, sed libros distingui-
mus.

Quamvis enim quatuor sint Scriptores,
tamen res scripta est una, historia narrata una,
mirò ordine, mira consonantia, ac coherentia,
ita ut in nullo discordia, ac discrepantia, sed
summa unitas, ac uniformitas inveniatur.
Describens *Ezechielis 6. numer. 6.* Suum admi-
rabilem curram; qui à quatuor animalibus
ferebatur, ait: Quatuor facies uni scilicet
hominis, Leonis, Bovis, & Aquæ, quæ
quatuor animalia denotabant quatuor Evan-
gelistas, ut tenet D. Irenæus, D. Athana-
sius, D. Augustinus, D. Hieronymus, D. Am-
brosius, D. Gregorius, & alii Patres à me sæpè
citari, qui etiam docent, quod hæc animalia
sunt illa, quæ vidit Ilias sub specie Seraphim,
cap. 6. num. 3 *Et clamabant alter ad alterum*
Sanctus, Sanctus, Sanctus. Et subdit Propheta,
num. 4. *Commota sunt luminaria Cardinum à*
voce clamantis. Ecce plures facies unum corpus,
Quatuor facies uni. Ecce plures Clamantes,
Clamantes alter ad alterum. Et plures, una ta-
men vox erat, a voce clamantis. Merito San-
cti Patres in his quatuor animalibus, sacros
Evangelistas intelligunt, quamvis in eis ap-
pareant diversæ facies, hominis, Leonis, &c.
tamen in eis unum est corpus historice scri-
ptæ, ac narratæ; quamvis plures videantur,
una tamen in eis est vox, lingua, ac clamor,
à voce clamantis; cum ab uno, ac eodem spi-
ritu dirigantur, ac gubernentur.

Quatuor sunt Evangelistæ Matthæus, Mar-
cus, Lucas, D. Joannes, ut est definitum in mul-
tis Conciliis, & constat ex perenni traditione
Ecclesie, ut dixi *tom. 1. in Evangelia in præmio,*
cap. 2. num. 5. & ibi *num. 6.* dedi aliquas ratio-
nes, cur nec plures, nec pauciores sint ex or-
dinatione divinæ Providentiæ.

Dices. Si Evangelium in se est unum, ut di-
ximus modo, ad quid quatuor Evangelistæ,
cum unus sufficeret. Responderetur valde con-
veniens fuisse, ut plures essent Scriptores, ac
Evangelistæ propter magis completam, & ampli-
orem fidem, ut idem scriberetur à pluribus,
quam ab uno solo, ideo non erat conve-
niens unum solum Evangelium, ut ita adim-
pleretur, quod dicit Scriptura. *Non stabit testis*
unus contra aliquem, sed in ore duorum, aut trium
testium stabit omne verbum. Deuteron. 19. n. 15.
Matth. 18. num. 16. Joan. 8. num. 17. 2. Cor. 13.
n. 1. Sicque Christi Domini adventum, ejusque
sacratissimæ vitæ mysteria, non per unum pro-
phetam, sed per plures voluit Deus variari,
declari, ac manifestari mundo; sicque
currus *Ezechielis 1. num. 4.* bene poterat ab
uno animali asportari, tamen ad majorem de-
centiam, & majestatem voluit à quatuor as-
portari, tanquam per quatuor Cherubinos,
utpote primates cælestis curiæ; sic & currus
operum, ac gestorum Christi per quatuor
Evangelistas, quasi Principes, & Cherubi-
nos Christi, voluit per quatuor orbis partes
asportari.

Deinde

Deinde per quatuor Scriptores scribitur
Evangelium, ut magis ejus veritas claresceret,
quia cum scripserint in variis, & remotissi-
mis partibus, Matthæus in Judæa, Marcus in
Roma, Lucas in Achaia, Joannes Ephesi, uno,
& consonò ore scripserunt; si maxime cele-
brantur virtutes Spiritus sancti in Septua-
ginta interpretibus, qui cum essent diversis in
cellulis consonò ore scripserunt; quanto mag-
gis admiranda divina virtus in sacris Evange-
listis, qui tam diversis in partibus tam unifor-
miter, ac coherentè facta Christi narrat.

num. 13. & ipse Christus Dominus de semet-
ipso dixit: *Si ego testimonium perhibeo de me*
ipso, testimonium meum non est verum; alius
est, qui testimonium perhibet de me, Joan. 5.
num. 31. & Apostolus Paulus coactus suas
laudes recensere, ut suum Apostolatum tueretur;
ait: *Factus sum insipiens, vos me cogisti;*
ego enim à vobis debui emendari, 2. Corinth. 12.
num. 11. Unde ait Salomon, Proverb. 27.
num. 2. *Laudet te alienus, & non os tuum;*
extraneus, & non labia tua.

Ad supremam majestatem, ac principum
cellitudinem pertinet, non per se agere, sed
per ministros, præcipue quando res bene, ac
commode potest per illos agi, sed narratio
gestorum Christi perfecte, & optime poterat
per alios scriptis mandari; ergo maxime erat
consonum dignitati Christi, ut ipse nihil scri-
beret, sed hoc tantum suis ministris dele-
garet. Confirmatur: esto demus, quod Christus
aliquem librum scriberet; esset in magna au-
toritate, & veneratione; tamen ut ex com-
muni sententia dixi supra in hoc opusculo *Reso-*
lut. 1. quæst. 2. num. 12. quod ut aliquid sit Cano-
nicum in actu, non solum requiritur, quod sit
dictatum à Deo, sed insuper requiritur, quod ab
Ecclesia proponatur, ut inspiratum à Deo,
juxta illud celebre dictum Augustini lib. 13. *D. August.*
contra Faustum, cap. 4. & lib. 18. cap. 7. *Ego*
Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ec-
clesia commoveret auctoritas. Quod præclare
dixit D. Cyprianus de simplicitate clericorum:
Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam
non habet matrem; Ergo ille liber scriptus à
Christo ut in actu secundo esset Canonicus,
proponendus erat ab Ecclesia, sed etiam ipsa
Ecclesia libros Evangelistarum, ut verissimè
Canonicos nobis proponit; ergo nil amplius
requiritur.

Contra dices, Primò, Moyses accepit le-
gem, seu Decalogum scriptum digito Dei in
duabus tabulis lapideis, *Exod. 32. n. 15.* Ergo
etiam conveniens videtur fuisse, quod noster
legislator Christus suo digito scriberet legem,
quam nobis dedit. Responderetur primò, juxta
satis probabilem sententiam, de qua dixi su-
pra *Resol. 3. quæst. 3. num. 197.* legem illam fuisse
scriptam ministerio Angelorum, ut dixit B.
Stephanus *Act. 7. num. 53.* *Legem accepistis in*
dispositione Angelorum. De more Scripturæ,
Deo ipsi tribuitur, quod Angelorum ministe-
rio exhibetur nomine Dei, Angelus enim
erat, qui Domini personam representans dice-
bat: *Ego sum Dominus, qui eduxi te de terra*
Ægypti. Et esto admittamus cum prabilliori
sententia, quod lex fuit scripta digito Dei, de
quo eadem *quæst. num. 199.* est dispar ratio,
quia lex illa fuit data populo Judaico incre-
dulo, & rebelli, ut dixit Moyses: *Audite rebel-*
les, & increduli. Numer. 20. n. 10. & D. Stephanus
Act. 7. num. 51. populo ergo tam duro, &
obstinato, ac rebelli, ut adduceretur ad
legem Dei observandam suprema auctoritate
Dei compellendus fuit; At lex gratiæ data
est tanquam filiis obedientibus: *Ut adoptio-*
nem filiorum reciperemus, in quo clamamus,
Abba Pater, Rom. 8. num. 15. Quibus sufficiens
levis Patris insinuat, quanto magis quando
res est scripta per præclarissimos ministros, ac
scriptores.

H 4 Dices;

QUESTIO III.

Quare Christus Dominus ad majorem
utilitatem fidelium noluit per sei-
psum scribere Evangelium.

SUMMARIUM.

- 599 Ratio dubitationis.
- 600 Non fuit conveniens, ut Christus Domi-
nus propria magnalia scriberet.
- 601 Majestas Principis postulat, ut non agat
per se, sed per ministros.
- 602 Ponitur, & solvitur argumentum de tabu-
lis scriptis digito Dei.
- 603 Ponitur, & solvitur argumentum de Moy-
se, & aliis, qui sua facta scripserunt.

Hanc quæstionem jam attigi supra *Reso-*
lut. 3. quæst. 2. num. 216. quod certum est
Christum Dominum scripsisse in causa mulie-
ris adulteræ, Joan. 8. num. 6. & 8. iterum res-
pondens sua Epistola ad Abagarum Regem, ut
tenent D. Augustus, D. Ephrem, Theodoretus,
& multi alii, quos adduxi citato loco, num. 117.
Tota dubitatio est, cur Christus Dominus
totius sapientiæ fons non scripsit aliquod
Evangelium, seu rationem suorum operum?
Et hæc quæstio est valde perantiqua, ut docet
D. Augustinus *lib. 1. de consensu Evangelist.* Et
quamvis de hac quæstione jam aliqua dixis-
sem citata *q. 2. Resolut.* nunc hic altius est exa-
minanda, D. Augustus, ut ibi, dixi *lib. 1. de con-*
sensu Evangelist. cap. 35. ait, quod Christus
Dominus scripsit per membra sua, nempe
per sacros Evangelistas, qui erant partes cor-
poris sui. Hæc tamen ratio est valde mystica.

Dicendum est, maxime conveniens fuisse,
quod Christus Dominus nihil per se ipsum
scripserit; ita D. Thomas 3. *part. quæst. 42. art. 4.*
ibi ejus commentatores. Valde enim decentius
fuit, quod quidquid scriberetur de Christo,
per alios scriberetur, & non per se ipsum,
omnia quæ scribenda erant, ad laudem, &
commendationem Christi pertinebant, om-
nia enim, quæ in Evangelis habentur, sunt
opera, miracula, & verba illa illius, quæ in fini-
tam Christi bonitatem, ac excellentiam maxi-
mè exprimunt, & declarat inde maxime de-
cens fuisse, ut hæc per alios scriberentur, ut
aliena essent omnino ab omni suspitione;
nam magnalium commendatio in ore proprio
valde suspecta videtur. Inde Judæi Christo
objecerunt: *Tu testimonium perhibes de te ipso,*
& testimonium tuum non est verum, Joannes

Joan. 8.

Joan. 8.
D. August.
D. Ephrem.
Theodor.

600.
D. Thom.

Beda.
D. Remig.

599.

Ezech. 1.

Isai. 6.

596.

597.

Ezech. 1.
Deuter. 9.
Matth. 18.
Joan. 8.
2. Cor. 13.